

defendendum non conveniret ? cur denique sibi laudem invideret, quæ ei imprimis ob Italiæ pacem partam ac restitutam deberetur ? Cum Zenus hæc Senatui significasset, omnes fere præconsultores, satis Carolo faciendum, existimabant; ac si eo redactæ res essent, ut nisi a Republica subscriberetur, pax in discrimen vocari posset, tunc Zenus una cum Principum legatis Reipublicæ non solum verbo, sed etiam scripto fidem obstringeret. Unus ex continentis Sapientum ordine, Michael Foscarenus, acerrime, sed frustra præconsultorum sententiam oppugnavit. Senatus consultum enim factum; & Zeno, ut Caroli voluntati obsecundaret, pactisque subscriberet, mandatum.

*Senatus
decretum de
pace Ha-
bens sub-
scribenda.*

FINIS.